


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
69
8 B
41
81
10


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
69
8 B
41



A



PSORICON,

VEL DE SCABIE

LIBRI DVO,

In quibus præ cæteris de Contagii natura, Syderum vi, & Thermis Calderianis physicè agitur;

D. Andrea Chiocco Philos.& Medico Excellentiss. Veronensi Auctore:

Ad Marium Biuilaquam Comitem Perillustrem.




VERONAE, M D X C I I I.

Ex Typographia Hieronymi Discipuli.

De licentia Sanctæ Inquisitionis.

ADMODVM ILLVSTRI AC GENEROSO COMITI MARIO BIVILAQVAE.



NIHIL sanè, nec ob veritatem excellentius, nec ob summam celebritatem admirabilius, Comes Perillustris, ab erudita illa antiquitate promulgatum esse arbitror, eo præclarissimo veluti sapientissimorum virorum oraculo, πάντα κοινὰ φίλων, quo amicorum omnia esse communia admonemur. Id enim non solum ex aliorum sermonibus, aut communi hominum fama, sed etiã quotidianis experimentis verum esse facilè comperimus, quod superioribus diebus mihi vsu venire conspexi, cũ enim Andreas Chioccus Medicus, & Philosophus præstantissimus, pro veteri sua in Patrem meũ, & in meipsum beneuolentia, domi suæ logicis Aristotelis præceptis animum meum informaret, fortè fortuna elucubrationes quasdam mihi perlegendas benignè tradidit, inter quas Poema erat de scabie ab amicis tantopere antea expetitum, cuius lectione cum maximopere tum ob miram carminum suauitatem, tum ob rei,

quæ tractatur, amœnam varietatem vnà cum Parente meo essem oblectatus, cœpi statim de edendo opere cogitare, vt potissimùm amicis etiam alijs, qui obnixe hoc anteà ab auctore postulauerant, aliqua ex parte satisfacerem, sed multis rationibus hoc meum cōsilium ab eodem doctissimo viro fuit improbatum; primùm quòd olim Patauij succisiuis horis, dum à grauioribus studijs paulū vacaret, animumque laxaret, Poemate hoc veluti aliud agens lusisset; prætereaquod tenui stilo, atq; humili vena, nullo grandi afflatu, erat conscriptum; mihi tamen eius studiosissimo atq; obseruantissimo roganti, atq; adeò obsecranti, non modo assentiri, sed etiam, quod liberalis est animis, opus tradere, libereq; donare non est grauatus; quæ mihi pergrata admodum res fuit, cum vno tempore tum illius erga me, & Patrem meum amorem, ac beneuolentiam, tum maximum amicitiæ nostræ robur, oculis quasi intuerer. Quocirca cū olim auctor, vt in operis exordio satis liquet, nomini tuo amplissimo id nuncupare sibi in animū induxerit, volui ipse etiam eius exemplum imitatus hac breui epistola idem sub nominis tui auspicijs pręlo cōmittere, tum vt Parentis mei, atq; meā summam erga te obseruantiam, quos semper


ma-

maximis beneficijs fouisti, omnibus declararē tum etiam vt summæ auctoritatis viro, & bonarum artium Patrono incomparabili qualis tu ipse es, delecto tutissimum Patrocinium edito Poemati compararem, cuius ope ab omni inuidorum, & obtrectatorum morsibus sarctum, tectumq; non solum à Medicis, sed aliis etiam Poeseos studiosis, legi posset. Vale Magnanime Comes, Tibiq; certò persuadeas auctorem ipsum in te amando, atq; plurimū colendo nemini vnquam cedere.

Cliens deditissimus

Io. Federicus Canobius.

AVCTORIS
AD CANDIDVM LECTOREM PRÆFATIO.



ILLVD sapienter à Pindaro, vt cętera complura, memorię proditum est χρὴ καθ' αὑτ' ἀεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον cuiusq; nimirum rei mensuram, modumue diligenter esse perspiciendum. Iurè igitur mihi fortaſsis vitio vertetur, quòd, dum olim Patauij vbi ſtudiorum cauſa degebam, Poematium hoc ſubſeciuis operis conſcriberem, nullam mearum virium, nullam ingenij, aut rei pertractandæ menſuram inierim: Sed non me fugit in maximis, atq; arduis rebus vel ſolùm ipſum velle mediocribus ingeniis laudi datum aliquãdo eſſe; Fateor ſanè maiori verborum, & ſententiarum ſplendore, & maieſtate quandam Heroici Poëmatis propria digeri omnia, & explicari potuiſſe (quod à Fracaſtorio ſummo Patrię ornamento atq; alijs etiam ſeruatum comperimus) Sed ſatius mihi viſum fuit T. Lucretii, & Q. Sereni remiſsiori ſtyllo, qualis rebus Phyſicis, & Medicis deſcribendis videtur ſatis accomodatus ἐξωβελῶν, vt aiunt ſerpere humi tutum, & procellæ timidum, quàm quod a tã-

tulo

tulo ingenio, & multis alijs studiorum occupationibus, cum hac paulò hylariora scribebamus, districto præstari non poterat nō solùm re ipsa aggredi, sed ne cogitatione quidē ipsa nobis polliceri, libenterq́; nos versiculo illo à doctiss. Pico in libello de Ente, & vno ad Politianum pariter vsurpato ab aliorum reprehēsionibus tuebimur: Ornari res ipsa negat, contēta doceri: Hunc igitur libellū, qualiscumq́; tandem est, æqui, boniq́; consule, Lector candide, quem ferè à nobis anteà neglectū, & obliuioni traditum àmicorum precibus deuicti, In præsentiarum, Deo fauēte, tandem aliquando diuulgari permisimus, Propediē verò maiorum vigiliarū, & grauiorū studiorum lucubrationes Dialogos nempè Philosophicos, libros de alui profluuio & variarum lectionum atq; alia nonnulla ex nostro Penu, quamquā nō vsqueadeò locuplete deprompta, tibi amicè, & candidè impartiemur, humanissimi iuditij tui limam & ingenuam censuram nullā vnquam ex parte detractaturi. Vale.

Errata potiora, quæ recognito volumine deprehendimus ſic corrige.

pagina	2	quattuor,	lege	quatuor
	ead.	nutua		mutua
	4	furijt		furijs
	ead.	Tulis		Talis
	6	nonas		nouas
	ead.	definæ		defixæ
	7	depaſitur		depaſcitur
	8	citio		citro
	12	cloors		cohors
	13	ligdæ		Ligdæ
	15	coneretis		concreris
	20	Abque		Atque
	ead.	Teles		Tales.
	31	daphnis		Daphnis
	33	æto		læto
	ead.	Palliadasq́;		Palladiasq́;
	34	Sulphureim		Sulphureis
	36	michi		mihi

PSORICON, VEL DE SCABIE.

Liber Primus.

AD MARIVM BIVILAQVAM COMITEM PERILLVSTREM.



QVAE causæ nobis Scabiem peperere molestam,
Quoue modo humanum deformet pustula corpus;
Nec non quæ tetram valeant depellere pestem
Auxilia ingenti Diuum comperta fauore,
Dicite vos gelidi clarissima numina Pindi
Thespiades; vestræ res nulla incognita menti est,
Nos durum genus immensæ pressere tenebræ,
Terrenique hebetant sensus, quo tempore primùm
Deucalion duris reparauit sæcula saxis,
Marmoreumq; suis subsidit vallibus æquor.
Tuq; adeò Ausoniæ splendor, columenq; cadentis
Musarum Imperij, audaci Biuilaqua labori

Adspira, & nostræ placidus succurre Camœnæ,
Sic Aganippæos renouas dum blandus honores,
In patriamq; nouem deducis vertice Musas,
Vranie tibi diuinis concentibus vsque
Applaudat: Tum Calliope tua dicere facta
Iam paret, & plectro societ noua carmina Eburno;
Nos humiles mutas agitamus Apollinis artes,
Nec gracile in tantum posset se extollere carmen,
In tenui re multa subest cœlestis origo
Influxus, validas promunt dum sydera vires,
Et coniuratas demittunt æthere flammas;
Nec natura minùs, quæ nos regit, alma vigoris
Vindicat, humorumq; simul vis maxima nostrum,
Tanta vi scabiem genitalia semina gignunt.
Principiò natura parens animalia cuncta
Aera quæ, terrasque colunt, camposq; liquentes
Quattuor humorum per corpora fœdere certo
Deuinxit, legemque dedit, qua vita animantum
Incolumis longos seruari posset in annos,
Sanguis enim; succusq; niger, bilisq; calescens,
Et segnis pituita suum, si mutua fœdus
Disrumpant, varijs tentantur corpora morbis:
Hinc cruciant febres, absumit languida cancer
Membra, sacerq; ignis perreptat, & inguina sæuus
Affligit Bubo: splenisq; per intima scirrhus
Inuadit, tenerumq; feras dat sæpe ruinas

Oedema,

Oedema, & tacito consumit frigore corpus,
Singula quid referam? longum foret omnia versu
Claudere, quæ his humorum mortalibus ægris
Adducit, sed si veterum decreta referre
Non piget, hinc metuunt, cupiuntq; animalia; mores
Natura, atque alios expreßit Dædala rerum,
Ne solum tristi languerent corpora morbo,
Nonne vides rabidos quæ concitet ira Leones,
Et paßim tardum vestigia figere Asellum,
Insidias auibus vafras prætendere vulpes;
Vsqueadeò magni refert, quos debita motus
Compages ciet humorum, qui corpore toto
Excellant, proprijsq; alios moderentur habenis,
Adde quod hinc certis cognata alimenta parantur
Visceribus, perquæ concoctus diditur humor,
Et roris specie pars hunc sibi quæque recondit,
Necnon & scabiem, quæ corporis extima semper
Asperat, & placidis sensum cruciatibus angit,
Haud aliundè putes productam in luminis auras,
Quatuor humores mortalia corpora constant,
Atque graues ijdem conuectant vndique pestes,
Nunc mihi mentẽ adhibe, atq; animũ per singula volue,
Ne simplex Psoræ semper genus esse rearis,
Nec posse è cunctis humoribus incita nasci
Semina, pruritu vexant quæ membra perenni,
Altera nam scabies nigranti exorta putatur

Materia magnis Iecoris feruoribus vsta;
Quippè Iecur mira gignendi sanguinis arte
Præcellit, bilemque simul, furuumq; liquamen,
Et tenues toto dispensat corpore Ichoras,
At cum feruenti correptum exæstuat igne
Transmissum à stomacho Chylum, genitumq; cruorem
Vrit, & informi defædat membra nigrore,
Talis erat furijs quondam commotus Orestes
Materno postquàm conspersit sanguine palmas,
Sic Telamone satus Clypei fraudatus honore
Efferus in pecudes stolida desæuijt ira,
Talis & abducta Briseide fortis Achilles
Aemonio tristes demulsit carmine curas,
Et longa pugnam deuictus distulit ira,
His equidem exusto turgebant sanguine venæ,
Voluebatq; Iecur tumidas sub pectore flammas,
Sed tenuis pariter sanies, atque humida possunt
Excrementa artus scabie conspergere turpi,
Sæpe etiam toto corruptum corpore phlegma
Sanguinis, aut putris vis multa repellitur extrà,
Vel saniosus Ichor, bilis cui copia iuncta est,
Externamq; cutim prurigine rumpit acuta
Fit via vi, turget sanies, pruritq; vicissim,
Dumpenetrat, cęcosque subit sub carne meatus,
Tum purulentis expullulat illa phygetlis.
Nam, qui corporibus circundatur vndiq; amictum

Non temerè, aut nullos vis insita finxit in vsus,
Nil frustra natura facit; meliorque supernis
Cuncta mouens natura locis, & originis auctor:
Ergo artus, atque ossa, caro, diuulsaque membra
Corpore nexa vigent, teneraq; coercita Nassa
Nixantur, sic sæua minùs contagia lædunt
Multimodis semper nostræ occursantia vitæ;
Sed longè melior, ni me sententia fallit,
Vtilitas maiore cutim donauit honore,
Nam quæcunque imos latitant vitiata per artus
Excrementa, suo recipit dum prompta recessu
Corpore detrudit, sentinamq; haurit olentem,
Ni faciat, varij capiant nos vndique morbi,
Atq; inmaturæ rapiat violentia mortis,
Intima pars pellit multo cute fortior ipsa,
Sed malè vicinas detrusus polluit humor;
Quare tùm magnis conatibus anxia membra
Insurgunt, validoque humor propellitur ictu.
Hinc motu feruet, tenuemque solutus in auram
Exustus vapor, heu molles ferit improbus artus,
Inque cutem tandem infirmam decumbit, ibidem
Efflorescit ouans, & phymata densa remittit:
Non aliter bullis feruentibus excita flammæ
Vis exundantes visa est opplere lebetas,
Fumidus & laticum gestire syphonibus amnis
Nam calor, & motus spumam fabricantur inanem,

Aut

Aut cum vere nouas lustrat Dea Flora choræas
Fæcundò turgent protrusæ è palmite gemmæ;
Cunctaquè fragranti pinguntur prata colore.
Nunc alias etiam Psoræ perquirere causas
Ne pigeat, nam sæpè illam diuturna crearunt
Otia, segnitieque sibi mala pabula captat,
Tum contra labor, impuro qui corpore viuunt,
Dum ciet humores, & corporis abdita laxat
Spiramenta fero complevit phymate membra.
Illotus sudor, defixa in corpore sordes
Altius, immundusque situs sæpè asperat artus
Pruritu ingenti, caritas tùm nobilis escæ
Effrenem inuexit scabiem cum turpis egestas
Lauta negat, tenuique adigit consuescere Mensæ,
Acria namque vorant, nitrosaq, fercula, quæue
Pauperibus simplex offert, & inempta voluptas,
Dulcia quinetiam papulas genuisse molestas
Vidimus abstrusas Iecoris pascentia flammas;
Sed mage conspicies autumni tempore siccas
Emanare, gelu sed cum fera Bruma reducit
Tunc vdas passim salso consurgere viro,
Sic lepram, scabiemq; grauem, qui rore perenni
Colligitur liquor æthereo priuatus honore
Attulit, & Leuce deformia membra notauit.
Sæpè etiam certo naturæ visa tenore
Semina sponte sua labis contracta recentis

Cum propensa forent propria vi corpora quædam
Cuncta tamen nec sorte pari, nec legibus æquis
Tentanturq; malis, & noxia multa receptant,
Vt naturarum inter se distare videntur
Armoniæ, sic morborum discrimina plures
Corripiunt, alij subitò feruore coortam
Accepere febrim, ast alijs sæpe insidet acer
Dente dolor, vel crus tumida turgescere mole
Cernitur, atque alijs ignis sacer occupat artus,
Serpit ouans, miserosque simul depascitur ægros,
Antè oculos etiam nostros, quis concidit ictus
Fulmineis veluti telis; tum desipit, artus
Intremit, extentat neruos, torquetur, & ore
Effundit spumas, & languida membra fatigat;
Tunc os destituit vox vel glomerata feruntur
Semina vi sonitus producta, hinc tantus vbique
Turbat agens animam vapor excitus, & redit olim
Cum primùm domitos licuit penetrare per artus,
Nonnullis gelidus coït in precordia sanguis
Tum mærent, vanoq; animum terrore remordent,
Diuersæ morbis soboles; Regionibus ijsdem,
Ne cunctas morbi species Acheronte profundo
Transmissas, hominumq; putes percellere vitas.
Nunc quæ contagi ratio, cur semina labis
Multa minuta iaci summo de corpore sæpe
Dicantur, similiq; alios maculare figura,

Expe-

Expediam paucis: Tu res modò dispice cunctas
Altius, & summo de corpore fusa vagari
Corpora, parua tibi summa ratione fatendum est,
Quæ secum inuisi referant primordia morbi,
Nam si multa vides textura prædita densa
Promere multiiugas species, calidosq; vapores,
Robora ceu fumum exhalant, tædæq; iugales,
Thuraq; odorata complent caligine templum,
Mollia cur pariter profundere membra negabis
Hæc eadem, prima fuerint cum fronte locata?
An quod sint infra visum? nec tempore in vllo
Conspicis effluxas vltro, citiòq; per auras
Defferri species? at tristem spirat odorem
Abrotanus grauis, & panacis medicina salubris,
Lumina præterea conscissæ proxima capæ
Percellunt, lachrymasq; cient; Tum tangit amator
Ora celer, si forte vides absinthia coràm
Misceri diluta prius, vel frustra cichori,
Nullius ista oculis sunt obuia: Tu tamen ipso
Conuictus sensu corpuscula parua fateris
Emitti, & facili penetrare per omnia cursu,
Ergò contage informis, quia pustula serpit,
Siue toro somnos aliquis venetur eodem
Lintea, seu nimiò contrectet sordida tactu,
Ne mirere, latet per summos viscidus artus
Humor, is exiguo tepefactus fortè calore

Euolat,

Euolat, & socium viroso semine corpus
Inficit, aut longo affrictu se denique promit,
Vel quauis alia ratione in corpora sese
Insinuat: Tum quidquid in ipso sanguine lentum
Hæret, & incoctum est, aut sicca vligine fertur
Per venas celeri (dictu mirabile) adhæsu
Corripit, & multis se fotibus usque propagat;
Quippe ea contagis ratio est, si viribus æquis
Semina præcellant, si pabula debita subsint.
Si tempus quoque conspiret, laxique meatus,
Sic scabra inuadit luces ophthalmia molles.
Interdum & diæ desædat frontis honorem;
Vidi ego præclarum iuuenem, qui corpore toto
Languebat scabie ingenti correptus amica
Munere qua ueluti egregio donarat amantem,
Sæpe etenim lustris longum fouere prophanis
Scorta luem, miseramq; ipsa infecere iuuentam,
Hæc eadem alterius simul est prænuntia labis
Quam Celtæ Hesperias bello sparsere per oras:
Hanc meus æterno Frastorus carmine quondam
Ad Caphios cecinit lucos, cui Phœbus Apollo
Immensum fama tribuit volitare per Orbem,
Mantua nec proprio tantum se extollit alumno
Amplius, aut Sulmo nitidis vberrimus vndis
Nunc mihi quæ cæli vitio demissa fatigat
Incautos scabies (si fas) euoluite Musæ,

Vos arcana Deum nouiſtis fœdera, vobis
Eſt aperire datum, ſeriemque recludere Fati,
Quæcunque æthereo viuunt ſub tegmine cœli
Aerias ducunt auras, quibus inſita flammæ
Vis recreatur, & exuſta fuligine caſſa
Vitalem melius defert per membra tenorem,
Quare operæ pretium eſt ſpirare, & in aere ſemper
Degere. Quippè ortus rerum circumfluus aer
Principium, nunc infeſtus, nunc viſus amicus,
Contemplator enim cœleſtia tela, Deorum
Fulgura, quæ nullo ſonitu, nullo impete mentes
Horriſono quatiunt trepidas mortalibus ægris,
Sæpè quidem diræ facies, coituſq; maligni
Aſtrorum occultis defluxibus aera complent,
Morbida vis ſenſim per inania lata vagatur,
Mortiferamq; homini cladem, pecudumq; cateruis
Inuehit, aſſuetis dum miſta exugitur auris.
Omnia, quà graditur, conturbat, pabula viro
Inficit horrendo, nec frugibus abſtinet ipſis,
Hinc rapidas peſtes funeſtas vidimus vrbes
Reddere, cùm primum aerio mala ſemina tractu
Perſedere, quibus vitiatus ſpiritus in cor
Confluxit, tum præcipiti vitalia quaſſu
Clauſtra labant miſeris nullis retinenda medellis;
Hinc elephas, febreſq; graues, ſudorq; Britannus
Corpora corripiunt, atque agmina magna malorum,
Tem-

Tempora quinetiam proprias seruantia formas
Dispersos morbos, eadem mutata vicissim
Vulgares pariunt, cum par consenserit ætas,
Et regio, & mos naturæ sociatus amicæ,
Hinc etiam scabies regnis demissa supernis
Interdum late multas bacchata per vrbes
Sydera dum certis agitant influxibus auras,
Sed non hanc pariter plenis sorbere necesse est
Faucibus, externo sed nos mala verberat ictu
Sæpe quidem O' Diuum pietatem cœlitùs illam
Ob scelera, & proprijs fraudata altaria donis
Immisere Dei, referam quæ prouidus agri
Cultor, & Agricolas inter ditissimus omnes
Simylus hyberna narrauit nocte liquentes
Meduacus quà voluit aquas, & mænia lambit,
Ille quidem iam longo vsu, atq; ætate verendus,
Otia dum festis agitat pius vsque diebus
Sic placido arridens socios est ore loquutus,
Nemo Deum iuuenes insignia numina cæpiet
Temnere, sæpè iram longos cælare per annos
Illa solent, sed tum pœnæ grauitate coercent
Effrænes animos, multoq; ferociùs vrgent:
Daphnis erat quondam nostri spes vnica ruris
Eximius pecoris custos, studijsq; Mineruæ
Addictus, namq; is magni primordia Mundi
Nouerat, & solis cursus, lunæque labores,

Vnde niues, venti, pluuiæq; atq; horrida grando,
Quæ vis immani tellurem concitat ictu,
Quin etiam morum, & vitæ præcepta colendæ
Nosse dedit Pallas: Hinc illi sacra quotannis
Concelebrans nitidam mactabat vere iuuencam,
Tum mellis, niueiq; simul tria pocula lactis,
Affundens aris meritum libabat honorem,
Inde chorus iuuenum, & Nymphis comitantibus vltrò
Naiades agrestum diuæ per compita passim
Alternis terram pedibus, saltuque frequenti
Pulsabant, tum carminibus caua littora circum
Obstrepere, & multis oneratam vocibus Echo
Audisses hilarem sonitus reboare canoros,
Pallada læta choors celebrabat, rustica Daphnim
Gens tollebat, ad astra simul præconia laudis
Mista dabant Diuæ, & pulchro super omnia Daphni,
Inuidit Ligde, suberat cui fama vacillans
Virgineum demessa foret ne corpore florem.
Finxerat immensos æstus, & spicula amoris
Fixa nimis, longumque suos conquesta labores
Te rigidum Daphni appellans, quem Caucasus, atque
Hircanæ infracto genuissent pectore Tygres,
Iniecit tandem deuicto candida collo
Brachia, nec Ligde infelix circæa cauebas
Oscula, quæ mentem fassus mutare priorem es,
Exiemplo Idalijs & voluere cuncta procellis,

Non

Non illi studium naturæ effecta tueri
Amplius, aut magna persoluere sacra Mineruæ
Cura fuit. Ligdem tenui resonare camæna,
Omnis tunc ligdæ referebat pagina nomen,
Delitijs Cytherea tuis iam fracta iacebant
Pectora, iam turpi flagrabat Daphnis amore;
Indoluit Pallas, acriq; coercita cura
Non tulit vlterius proprias contemnier aras,
Hinc accensa petit Saturni limen, Olympi
Vertice, qua rapidus supra conuoluitur Orbis,
Aduentus aperit causas, & spernere Daphnim
Iam Diuos solo deuictum ardore Diones;
Tùm Martem acciri socium, & fera numina poscit,
Si qua per ætherios errent inimica recessus,
Vt diram Daphni illuuiem, scabiemq; rebellem
Demittant cæli vitiato tramite passim.
Falcifer assentit senior, radijsque coruscans
Inuisis tumidi iungit sibi lumina Martis,
Et phæbem toruo respectant vndiq; vultu,
Tum labem aerij tractus vexere timendam,
Siue quod è terra multos, pelagoq; uapores
Mouerat ignea vis, vel (quod mage credimus) ipso
Concursu astrorum contagia missa sodali;
Inuasit miserum scabies, qua sæuior olim
Nulla fuit, tenerumq; viri tubercula corpus
Obduxere, graui prurigine percitus, artus

Nequicquam duro scalpebat sedulus vngui,
Vlcera quin etiam mollem deformia carnem
Pascebant, siccáq; simul, liquidáq; vicissim
Manabant sanie: Tum Daphnis tendere palmas
Ad cœlum supplex; spreta pia vota Mineruæ
Concipere, & sera Diuos pietate parabat
Flectere, sed cuncta incassum tentata nocebant,
Symilus hæc: Nunc signa luis tè cuncta docebo
Pustula si rubrum contraxerit ante colorem
Mollis, & humidior nulla de parte dehiscat,
Tum feriat blandè sensum, festináq; puris
Compagem ingeneret niueam; læuemq; liquentis
Hæc tibi corrupto scabies sit nata cruore,
Quòd si pruritus sit sæuior, atque colorem
Liuidulum papulæ ostendant, saniemq; per omnem
Effundant partem, & lata radice residant,
Squamulaq; è scalptu summa de carne resultet,
Phlegmatis hæc soboles scabies erit improba; sed si
Acrius illa furit, salso prognata liquore est;
At feruens bilis sensu magis vrget acuto,
Phymatáq; in summum ducuntur sæpe cacumen,
Arida quinetiam manibus tractata videntur,
Nec nisi feruentes emittere cortice Ichoras,
Pallentiq; simul per totum infecta colore,
Sic, quæ purpurei fex sanguinis atra per omnes
Differtur venas hebeti nos pungere sensu

Assolet, & crasso papulas vix pure remittit,
Caeruleoq; situ, & scabra rubigine cretas,
At si bilis erit torrenti exusta calore,
Haec nobis mala tum miseris maiora redibunt;
Illa quidem nostrae grauiora pericula vitae
Inferre, & dulces sueuit perrumpere somnos:
Illa etiam est inuisa viris, inuisa puellis,
Et mage formosam deturpat Psora iuuentam,
Quae caput oppletum sanie, calidoq; vapore
Promit in angustum, & carnem populatur inanem.
Tum stimulis effaeta feris iam membra fatigat,
Luxuriantq; simul concretis phymata Varris,
Atque Elephas exindè aegros depascitur arius:
Heu frustrà caro per noctem subit aspera poenas,
Pustulaque obstrepero rediuiua refringitur vngui,
Acrior à scalptu dolor ingruit; effera blandas
Excipit illecebras tentigo; Nulla voluptas
Syncero nostras demulcet Nectare mentes,
Intercurrit enim labor improbus, & dolor angit
Pocula lethali contingens saepe cicuta.
Aspice Acidaliae quos vis agit effera flammae,
Et caecis angit stimulis vesana cupido,
Nam miseri aetatis nitido dum flore fruuntur,
Osculaq; affigunt oculis, dentesque labellis
Illidunt, tenerisq; aliquid deradere membris
Contendunt; praesto Venus est, quae ludat amantes,

Et

Et vanis animum simulachris pascat ouantem,
Nam Cereris facile expletur, laticumq; Cupido
(Cum subeant nostri penetralia corporis intrò)
Non satiatur amor sed pulchræ spectra puellæ
Exterius pulsant auidos in verbere sensus,
Interea certas seruant sub pectore curas.
Inque dies gliscit rabies violenta, nec vsquam
Vlla datur requies, se conscius ipse remordet
Sæpe animus, queriturq; fugax consumier æuum,
Nec minus Imperio populos frænare potentes
Dulce putant, Regumque ferunt ad sydera nomen,
Hos tamen angusti luctantes finibus Orbis,
Vt stabilem tandem accipiat Fortuna tenorem,
Et secura simul traducant otia vitæ,
Inuidia è summo ceu vertice cuncta reuoluens
Deturbat, miserisq; replet sine fine querellis,
Nonne vides quantis agitentur nostra procellis
Tempora? Gallorum Imperium quæ vexet Erynnis?
Hæresis infandum mostrum: quo peius Auernis
Haud viguisse locis, terrasq; inuadere cerno.
Hinc populi dira committunt prælia mente,
Sanguine tum proprios pergunt maculare penates
(Dij latio meliora, tuo sub numine tuti
Iuppiter horrendos Lernæi gutturis ignes
Spernemus, votisq; sacras onerabimus aras)
Parte alia ardenti certamine fortis Iberus

Hollan-

Hollandum, Belgasq; premit, fera bella Sabaudus
Cogitat, & magno curarum fluctuat astu.
Vsque adeò humanos vis abdita semper honores
Obterit, & vario proculcat turbine regna.
Subdola desinit curas admista voluptas,
Sæuior inde redit furor; atque ærumna grauescit.

Primi Libri finis.

PSORICON VEL DE SCABIE.

Liber Secundus.




RIMA salutari Chironia munera ritu
Excoluit Cos Icarias porrecta per vndas
Diues opum, & donis multum celebrata Lyæi
Quam Rhodos in proprium vicina vocauit honorem,
Et paribus Clarium radijs lustrare subegit;
Aetheris hinc mira assiduò; celiq; sequuta
Temperies nullo ventorum agitata tumultu,
Hæc claros genuisse viros, ceu lumina Mundi
Creditur, ingenuas qui vitam egere per artes,
Vt fama Hesperidumq; sinus, populosq; Cyambes,
Atque ignorati peterent noua littora ponti,
Sed maiora dedit nostræ solatia vitæ,
Cum procreare virum potuit, quem pulcher Apollo
Nectareos Diuum iussit gustare liquores,
Tùm medicæ docuisse artis, quæ corpora morbis

Vin-

Vindicat, & solido tutatur robore vires,
Prima rudimenta, atque animi diuina reperta,
Cuius & extincti superum conscendit Olympum
Gloria Pergameis quondam benè consita chartis,
Tu pater es nostri splendor; tu Pythia sacro
Dùm tripode Phœbi sortes, lauroq; profaris
Aurea suppeditas vitæ documenta tuenda,
Te sequor Asclepi soboles generosa Nepotum,
Inque tuis aueo vestigia ponere plantis,
Tu mihi nunc diram illuuiem quæ pellere possint
Auxilia, & proprium membris reparare nitorem
Ostende, & dulcem da tandem attingere metam.
In primis scabies victu tractanda decenti,
Quæ quoniam salsis humoribus excita, carnes
Discindit, cruciatq; artus, contraria prosunt
Præsidia, vt gelida respirans ventus ab Arcto
Vere nouo, aut rapidis cum iuncta caloribus æstas
Aduenit, arentes & findit Syrius agros,
At quæ deuexum submittitur aura per austrum
Noxia, nam calido nos aggrauat vsque vapore,
Ergo nec gelidus contingat spiritus artus,
Nec nimium feruens, compingit frigida corpus
Tempestas, multo torrentur sæpe calore
Humores, duplicantq; noua prurigine morbum.
Optima deindè tibi proprios reuocentur in vsus
Fercula, temperiem quæ permutare calentem,

Et iecoris tacitas valeant extinguere flammas;
Quocirca vituli placeant tibi pectora, & hædi
Lactibus, & teneris securus vescere lumbis,
Monticolas volucres, atq; agmina crebra volantum
Laudarim, tum quæ densis latet auia dumis
Purpureis pectus maculis depicta decorum;
At tibi crura suum, lumbi atque abdomina semper
Vitentur, namq; illa ferunt mala semina labis
Incutere, & fœdo corpus maculare cruore:
Hinc Iudæa sues odijs incusat iniquis;
Displiceat tum pinguis Anas, tum durior anser;
Abque salax domuum volitans per culmina passer:
Non ego præterea pisces, quos abdita gignunt
Stagna probem, quos immundæ pauere paludes,
Quos amnes, pelagiq; agitant sub gurgite fluctus,
Sunt tamen insignem quibus inde obsonia fructum
Parta ferant, si præsertim loca saxea captent;
Aduersumq; fretum per cærula lata fatigent,
Mollis, & alba caro paruis obtenditur istis;
Teles sunt Pelagi, quas concaua littora Fucas
Emittunt, Parcasque creant splendentia fundo
Flumina, tùm petris deprehensus Scarus apricis:
Nec non qui venas auri Benacide lympha
Carpit, vt antiqui sceleris monumenta supersint
Aequoreum bonitate genus supereminet omne;
Salsa simul cupido forsam placitura palato

Tu

Tu prudens procul amoueas, nec blandus aceti
Vsus, & intinctus varij, & tragemata multa
Nec piperis, pyretriq; sapor, tristisq; synapis
Alliciant, vel fragranti te cinnama odore,
Atque oleosa tuas ignorent fercula mensas
Acria cuncta fuge, & gelidos complectere succos,
Hinc lactuca parum cui permiscetur aceti
Inchoet vsq; dapes, eademq; absoluat easdem,
Ptisana te chondrusq; iuuent, ciceresq; rubentes
Oxigala egelidum, & concreti copia lactis;
At simul ex horto victus, nisi forte recuses,
Vtilis, atq; olerum scabiem vis multa repressit;
Andrachnes ergò, & spinis carpatur acutis
Borrago; riguoq; solo lactuca, nec vsquam

Serida despicias, & duri prima cichori
Germina, vel toto florentem frigore soncum;
Sed tu nec vini magno capiaris amore
Cæcuba deuita, & fului generosa Falerni
Pocula, tum quæ vicinis dat suauia campis
Benacus, nutritq; sinu flauentia Gardæ,
Lataque Melsineis subigit vindemia labris:
Lympha tibi puro deprompta è fonte coquatur
Illa sitim sedet, vel mollia prouidus inde
Hordea, quæ salsos valeant disperdere succos,
Sin tibi Bacchigenæ cordi sint munera vitis,
Alba cape, & tenuem gustu referentia vappam;

Hic

Hic moneo, duræ nunquam te crede Palestræ,
Harpastum, follemq; caue, nec brachia disco
Exerce, aut iaculis rapidum insectabere ceruum,
Blanda quies artus recreet, calidumq; cruorem
Assiduo humectet per strata cubilia fotu,
Molliter vmbroso tantum spatiare recessu,
Aut quà florenti rident iuga proxima vultu,
Sed tu ne vitans hominum vestigia solus
Discurre, vnanimes semper tibi iunge sodales,
Nonne vides apibus quanta est prudentia parcis
Non illæ fontes, non prata virentia circum
Peruolitant solæ, aut Regem comitantur euntem;
Dulce quidem roseo cum se Palantias ore
Promit, & argutas Zephiris motantibus auras,
Threicij crimen queritur Philomela Tyranni
Vitalem cœli passim ridentibus aruis
Iugiter, & Solis vegetum libare nitorem,
Quippè viget magno cœlorum corpore viuens
Spiritus, atq; animæ sublimia semina nostræ,
Insitus hinc calor, & cordis vis abdita sumunt
Pabula, & ætherias adsiscunt vndiq; uires:
Sæpè etiam corpus digitis, & lassa fricare
Membra, vel arentes scalptu diffringere Varros
Obfuit, heu magno pensantur fœnore dulces
Illecebræ, placidoq; lues subit aspera morsu,
Quinetiam vigilem multa sub nocte manere

Non

Non placeat, sed prædulci te Nectare somnus
Largior aspergat, facili nec parce sopori,
A scalpiu in somnis rabidus sibi temperat vnguis,
Exustosq; magis recoquit natura liquores:
Nec tibi densatis aluus malefacibus vnquam
Sistatur, Borea vt magnum miscente tumultum,
Hanc leni prius exoneres enemate mando,
Iuscula, vel prunis exsorbe cocta tenellis
Nempe omni in morbo ventris via clausa nocere
Assolet, & prauo cerebrum complere vapore,
Nec non quæ vanis animum terroribus vltrò
Sollicitant, procul effugito, nec tristia mentem
Præcipiant, vita curas, rabidumq; furorem,
Non te Palladiis animum, nisi labe remota,
Addixisse velim studijs, sed Barbitos ægram
Exhilaret mentem fidibus sociata sonoris,
Perlege Mæonidem, & magni Monumenta Maronis,
Et Venusina tuas inuitent plectra Camœnas,
Nec te blanditiis captum Venus improba falsis
Distineat, solet illa luis primordia secum
Afferre, aut genitam tacito protendere viro,
Manè simul tepidis arentia corpora lymphis
Dilue, nulla magis scabiem medicina fugauit,
Impressasq; altè sordes, saniemq; situmq;
Deterge, & mundo semper veleris amictu.
(Quod sequitur) morbi tibi congrua cura tenenda est,

Cum primùm auratis Taurus reserauit Olympum
Cornibus, Arcturo primus vel cæperit ortus,
Corpora si solido consistant robore creta,
Distentasq; gerant per totum sanguine venas,
Discinde internam, vel quæ iunguntur eodem,
Communemq; ferunt ramum, cubitumq; pererrant,
Dextera pars morbi fomenta ferocia seruat,
Ergò tu dextri pertundes vasa lacerti,
Et nigrum educes ima de sede cruorem,
Frigescet simul epar, & euentata caloris
Semina, tum vitæ melius moderantur habenas,
Antè tamen duras ventris subducere faces
Proderit, aut celeri detersas clysmatis vsu,
Aerio aut melle, aut syluestris sumine palmæ,
Forsitan inuenies molles queis tundere venas
Non placet, hos nitido conflata cucurbita vitro,
Scalpelloq; iuuat passim discindere corpus,
Sic putrem educunt saniem, fædumq; cruorem
Cruribus hinc lumbisq; prius, dorsoq; recuruo
Vascula configunt Vulcani experta furorem,
Vndique prolectant, donec pars ipsa tumenti
Corpore promineat denso conspersa rubore,
Dein tumidam feriunt carnem, sed vulnera latis
Infligunt spatijs, atq; intima membra lacessunt,
Præsertim crasso scateant si corpora succo,
Infarctuq; graui fluxum sibi sistat amicum,

Vitrea tum rursus conscissam vascula carnem
Mordicùs excipiunt faciles sucturæ liquores,
Hinc collum angustum, & stricto mage condita hiatu
Arrident, maior tractus vis insidet istis,
Antè tamen ducenda tuo de corpore multa
Humorum vis, tùm tetrum exhaurire cruorem
Aggredere, & viridis succum potare cichori.
Nunc operæpretium est medicamina cuncta referre
Ordine, quæ scabiem valeant abolere rebellem,
Nec sum animi dubius, versu percurrere magnum
Quam sit opes medicas, veterumq; inuenta virorum,
Quinetiam Musis hæc tristior esse videtur
Materies dulci charitum spoliata lepore,
Quarè auersantur retrò, ridentq; poetam,
Sed me Phœbeo munitum numine Pindi
Raptat amor, nec qui medicas exercuit artes,
Atque idem Aonios Cythara modulatur honores,
Deseret oppressum tanto sub pondere rerum.
Certa igitur ratio, qua labem funditus omnem
Extingui, & nitido corpus splendescere amictu
Cernimus è valido tandem, placidoq; petenda est
Vnguento, quod passim omnes interlinat artus,
Sed non antè datur medicato magmate corpus
Vngere, quam cunctis è partibus abdita ducas
Excrementa imas expurgans ritè latebras,
Atq; atram euacues bilem, flauamq; calentem,

Non aliter, guttur quibus angere dira cynanche
Incipit, extentas fauces medicamine multo
Ignarum exagitat vulgus, nec prævia primùm
Purgamenta adhibent, illi vix limine in ipso
Mortis anhelanti suspiria voce remittunt.
Ergò concretos primùm diffundere succos
Sit labor, & valido passim tenuare liquore,
Decoque Buglossi, & florentis gramina Capni,
Et quæ de scabie nomen trahit herba salubre,
Nec lupulos sperne, humentem nec Seridis haustum
Est iecori gratum germen, cui nomina quondam
Tradidit, & proprijs distinxit corpora fibris,
Hoc simul admisce, & placido mitescat ab igne,
Congrua decocto dein misce Serapia, nec tu
Dulcia persequere exustum genitura cruorem;
Quæ permista simul multis vbi manè diebus
Ebiberis, nec cruda tibi iam multa supersunt
Coluthea medicare proba, elleboroq; potenti,
Et quæ fragrantem complectitur herbula Thymum
Nomine se prodit, tùm quæ radice probatur
Dicta pedum numero, annosaq; coercita quercu,
Nec peregrina simul durato cortice pruna
Despice, quæ flauum referant, furuumq; colorem,
Est & apud dites Arabas, quos plaga Scenitas
Illa vocat mira radix vi prædita, vulgò
Aduehitur magnum pretio testata vigorem

Præcipue bilem expurgat, cui cinnama misce,
Et nardi spicam, vel olentis frustula iunci,
Tum tenui lactisq; sero, vel iure cichori
Præmolli, atq; semel medico te prolue potu,
Ast aloes etiam scabiem expugnare vetustam
Dicitur, illa quidem melior, quæ forte coacta
Epatis in faciem ruffa nitet vndique luce,
Sed quoniam Iecoris feruore tenacia semper
Excrementa acrem in venis accendere flammam,
Et sauum geminare solent per corpora morbum,
Lactis amor, gelidiq; iuuent te pocula semper
Plena seri, placidaq; aluum mollire medella,
At tibi ne liquidum virosa coagula succum
Secernant, illa ardenti vi prædita mollem
Naturam exacuunt tenuem populata liquorem,
Oximeli meliùs compagem scindere lactis
Experiere, suo laticem nec fraudat honore:
Nunc, qui prævalido vnguento membra arida tandem
Contingas, papulasq; omnes abstergere possis
Expediam; firmata fidem experientia cœpit,
Quicquid adhærentes detergit corpore succos,
Et crassos resecat, farctos purgatq; meatus,
Tùm validè saniem exsiccat, solidatq; vicissim
Vlcera parua, quibus cutis vndiq; scissa dehiscit,
Apta hæc, & psoræ censeto accommoda turpi,
Hordea laudarim, abrotonum, tristesq; lupinos

Phyllidis & fructus vrticæ semina, scyllam,
Tum nitrum, & nitri florem, calcemque rigentem,
Argenti spumam, elleborum. sed cætera sulphur
Excellit, certum morbi medicamen acerbi,
Tu viuum eligito; interea ne sicca dolorem
Ista ferant, Gallinæ àdipem, vel pinguia frusta
Anseris admisce, atq; ouorum appone vitellum,
Sunt qui butyrum adiungant, oleumq; rosatum,
Atque acrem obtundant morsum, tacitumq; furorem,
His vnguenta parant, sed non densantia iungunt
Pharmaca, ne molles stipentur fortè meatus,
Prætereà calido corpus laxare vapore
Antè solent, tepidaq; domo, solioq; calenti,
Infectasq; linunt carnes, atque vnguine lustrant;
Interdum sol ipse vices subijsse repertus
Vulcani, medicas impertit Cynthius artes,
Atque idem amissam nouit reuocare salutem
Sed ne continuis adhibeto vnguenta diebus
Alternis vis maior erit, releuata retundit
Sic meliùs natura luem, cunctasq; repellit
Relliquias sed fide animis, & sedulus insta,
Nec si prima parùm forsan cessisse videntur
Tempora, desistas, progressum fortia morbum
Auxilia extirpant, eademq; iterata iuuabunt:
Sed ne intentatum quidquam, neue esset inausum
Argento quidam contingunt corpora viuo,

Sicq;

Sicq; putant labem euelli radicitùs omnem,
Hoc Arabes miris decorarunt laudibus, atque
Fælices morbi euentus memoraſſe feruntur,
Naſcitur argenti occultis, auriq; fodinis
Alpes acrio in cœlum quà vertice nutant,
Concretum ſtillis, propria vi mobile ſemper,
Frigidius tamen eſt glacie, nec fortè veneni
Expers, ſi qua fidem vulgo obſeruata merentur,
Hinc neruos magno conſtipat frigore, & ipſum
Neruorùm auctorem, atque animi inſtrumenta fatigat,
Hinc ſtupidus tremor, & ſpaſmo comitante per omnes
Inuadit torpor partes, ſenſusq; retundit,
Quare non auſim tanto maculare veneno
Corpora, nec magno vitam expoſuiſſe periclo,
Hiſpana afflictos paulum circumſpice labe,
Quorum vbi conſperſit miſeros hydrargyrus artus
Heu quantam acerſunt cladem, cumulumq; malorum,
Mitia non deſunt ſcabiem domitura rebellem,
Tu modò ſolerti percurras omnia mente,
Quiſquis enim Aſclepi dignatus munere ſacro
Pæonias diſpenſat opes, nomenq; reportat,
Ille citum in morbo auxilium, ſecuraq; cuncta
Afferat, & grata languentes mulceat arte,
Vel prodeſſe volunt, vel nil nocuiſſe medentes,
Quocirca opportuna, tibi ſunt tempora ſemper
Captanda; illa volant feſtino concita curſu,

Sit

Sit ratio simul apta comes, rerumq; receptus
Vsus, iuditij libratus pondere certi.
Iam verò, quæ sacra Deum pietate medella
Ingenti aduersum scabiem vi polleat, vndè
Sulphureæ abstergant scatebræ papulasq;, situmq;
Nunc referam placido fluitantes gurgite thermas,
Sed non te longa verborum ambage tenebo,
Hoc etenim clarè firmandum testibus ipsis
Dijs, & in extrema Daphnim memorare salute
Fert animus, namq; ista simul miranda monebat
Smylus antiquorum hominum, morumq; peritus,
Scilicet horribili maculatum membra phygethlo
Incassum longas Daphnim fudisse querellas,
Et simul essatum tentasse Machaonas omnes,
Quos Antenorei celebrat gens culta Lycæi,
Ad matrem tandem quæstus vertisse ferebat
Cultricem nemorum Cydippem, quæ iuga fortè
Cattai lustrabat ouans, & sacra quotannis
Debita pendebat Cereri, cui grandia curæ
Horrea multiplici concludere semper arista;
Tum querula affatum festinam voce parentem.
Mater Cydippe, mater, quæ collibus istis
Prima tenes, quid me infausto genuisse iuuabit
Omine? iam Daphnis non est quem fama canebat
Multa priùs, nec de mammis lac ipse putarim
Iam suxisse tuis; quantum mutata misellus

Membra fero, quantum informi consumpta Elephãto.
Aspice num Daphnis vestigia fortè prioris
Agnoscas? ni certa tuo comperta fauore
Auxilia inuisam depellant corpore pestem,
Nil moror, hanc vitæ vsuram cum morte relinquo.
Vel me præcipitem summa de rupe videbis
Ferre, vel in rapidas demergier ocyus vndas.
Hæc fatus, tacitoq; trahens suspiria corde,
Iam rigidam vera matrem pietate mouebat,
Quæ prius insanos nati damnauit amores:
Excipit illa sonos, non sunt temeranda Mineruæ
Sacra, nec obscæno vitæ benefacta prioris
Igne abolenda tibi; magni te numinis iræ
Exercent, meritasq; tuo das corpore pœnas,
Sed quoniam admissi tandem te criminis, atque
Pœnitet Idalio nimium indulsisse furori,
Vna salus superest puris Tritonida votis
Placare, atque sacros Diuæ modularier hymnos.
His actis sæuam illuuiem extirpare memento,
Calderi tibi parta salus, medicata docebit
Flumina, queis laceros conspergas prouidus artus,
Cymothoe, sacris quæ præsidet vna fluentis,
Illa laborantes lympha tractare salubri
Nouit, & amissum membris reparare nitorem,
Iamq; ito, & magnam imprimis venerare Mineruam,
At daphnis tantis monitis sublatus, amœnos

Carpebat, colles Athesis, Nymphamq; potentem
Praecipiens humili per compita mente colebat,
Iamq; iter emensus fumanti proximus vndae
Mopsum adijt pecoris ditem, veteremq; sodalem,
Enarratq; luis causas, quò tendat, & ipsum
Supplicibus secum hortatur placare Mineruam
Carminibus, castisq; onerare altaria votis;
Fortè aderat laetis tumulus benè consitus herbis
Eoum versus Solem, cui prima ferebat
Lumina purpureo incedens Theumantias ore;
Et sero occiduus lustrabat lumine Titan,
Hic diuae sublimem aram viridantibus ambo
Frondibus instituunt, & sanctum numen adorant,
Tum Daphnis supplex ad caelum tendere palmas.
Si mihi certa salus vndis spondetur ab istis
Diua tuo tandem placata reducere Daphni,
Iam Paphijs lustror flammis, nec nostra Cupido
Corda tenet; turpis vestigia nulla furoris
Pressa vides; animusq; tibi meus excubat ardens,
Dixit; idem Mopsus pro caro poscit amico;
At Pallas summo tandem de vertice Olympi
Placari, atq; humiles admittere visa querellas,
Nam caelum interea nitida suffundere luce
Ipsa videbatur; tremuloq; nitescere risu,
Noctua quinetiam Diuae dilecta potenti
Cecropias oblita domos prope culmina Mopsi

Subsidit aeto augurium acceptabile Daphni,
Iamque viae comitem Mopsus se iunxerat vltrò,
Palliadasq; ibant memorantes carmine laudes,
Non procul at scatebrae sese ostendere salubres,
Felices terrae scatebrae, fumantia q; antra,
Auia tum fortè extremo carpebat in agro
Cymothoe medicas, aegris, quas promeret herbas,
Vt vidit papulis faedatum membra malignis
Pastorem, se prima viris venientibus vltrò
Obtulit. An sacro, dixit de flumine forsan
Percepturus opem, nostra haec ad praedia Daphni
Venisti? Iam Cydippe mihi singula solers
Percurrit, iam parta tibi medicina sub istis
Collibus, aude animis, & te mihi trade piandum;
Ipsa tibi informes depellam corpore varros,
Ambrosiumq; tuti referam secura decorem,
Antè tamen sacrae quae sint primordia lymphae,
Quas vires hominum dederit sator, atque Deorum
Accipe: non multi iactura haec temporis, indè
Nos subitò quod res suadet, quodue instat agemus;
Has Thermas, atq; haec Iunonis feruida ahena
Mirati veteres varias exquirere causas
Caepere, & vario torqueri turbine rerum:
At nobis, quorum melior sententia menti
Venerat, arcani patefacta est fontis origo,
Nam me fluminibus magnus praefecit Apollo,

F Et

Et mirás docuit causas, seriemq; remotam,
Ipse quidem semper supera de parte fluenta
Contrectat, rapidus totum dum circuit orbem,
Quippè vbi sulphureim radijs penetrauerit antrum,
Ferrea cui maior protenditur æquore vena,
Percoquit humorem; diuinaq; semina miscet,
Nec calor ille ignis, vel sulphuris ardor habendus,
Cui simul exusti permista est copia nitri
Cœlitùs è Phœbi radijs primordia tanta
Missa putes; valido iactatur flumen ab æstu,
Cœlestesq; simul nanciscitur vndiq; flammas:
Sed mage roriferis terras vbi cinxerit vmbris
Humida nox subtùs frigescit terra, coitque,
Tùm compressa velut manibus, vaga semina circùm
Exprimit in latices, & salsas congerit vndas:
Sic visum superis, ne deplorata manerent
Corpora, ne lachesis vestro saturata cruore
Antè diem tristes adigat vos Ditis ad vmbras;
Hinc Verona Deum lætatur munere sancto,
Quæ socias inter nitidum caput extulit vrbes,
Non etenim tantum inferna tellure putandum est
Enasci, & sacro colari sulphure lymphas,
Aut solidi tantum vires redolere metalli
Maior origo subest cœlestibus indita flammis.
Credo equidem densa circùm caligine multos
Obduci, & falsa prorsùs ratione moueri,

Terrenis qui cuncta putant, quæ cernis vbique
Principijs, & natiuo procreata calore,
Dicite quid iuuit sublimes fingere vultus,
Ne prono (pecudum ritu) spectaret hiatu
Tellurem sanctum hoc animal, si nulla supernæ
Semina naturæ, nulla ætheris esse fatetur?
An tantum credit cœli, astrorumq; creatum
Vt solum immensam valeant compingere molem?
Et terram exiguam, quæ magno consita in orbe est,
Pabula suppeditare, & vitæ exordia cunctis,
At non prisca virum soboles, Saturnia regna,
Nec, quam doctiloquo genuerunt pectore Athenæ
Tantum est ausa nephas, veterum nec more Gigantum
Naturam enixa est sustollere funditus omnem,
Multa sed in superos retulere frequentius orbes,
Atq; solum ætherijs iunctum dixere caminis,
Flumina multiplices morbos, variamq; cohortem
Perdomitant lepræ, & varros populantur inertes.
Quin calidos etiam consumunt hausta catarrhos,
Et blanda rigidos artus aspergine mulcent,
Has circum innumeriq; viri, innumeræq; puellæ
Concurrunt, certamq; ineunt per membra medellam:
Hactenus obscura viguerunt balnea fama
Sirmio quà medijs Benaci extenditur vndis,
Fortunata nimis, quæ magnum habuere Catullum,
Consortem ve soli, & Diuos in vota secundos,

Feruida vis ollis, gelidos vt tollere morbos,
Et vegetum valeant membris reparare colorem;
Nec non Euganeis vbi fertilis vbere campus
Excolitur, sacras Aponi conspeximus vndas
Vestras Daphni vndas, Patauaq; insignia gentis
Commoda flammigeris Clarij lustrata quadrigis;
Balnea quid Lastræ memorem, Montisq; salubris
Aegrorum, Mutinaq; simul, laudataq; Lucæ,
Cæteraq; immensum fama vulgata per orbem?
Hæc tibi sat Daphni, eximias vox ferrea laudes
Vix memoret, nec cuncta mihi fas pandere Daphni,
Sed iam deuexo festinat Vesper Olympo,
Et distenta domum referunt minus vbera vaccæ,
Ipsa tuos artus cum sol michi crastinus ortum
Protulerit, dulci primum de fonte lauabo
(Sic renouata tuo mollescent corpore membra)
Inde salutares horrentia phymata lymphæ
Contingent, fluuióq; tuos mersabimus artus,
Ipse sitim pariter gelido solaberis haustu
Thermarum, & cæcos mulcebis prouidus ignes
Sanguinis, egregiaq; simul releuaberis arte,
Quod si forte tuo perdurent corpore turpes
Relliquiæ, ad viuumq; resederit altius œstrum
Pruritus: Nec non suetos bacchatur in artus,
Aridaq; inuisos ostendit pustula sulcos,
Sulphureis Aponi corpus perfundere lymphis


Pro-

Proderit, & fixos altè detergere Varros;
Hæc præſens Medicina mali; nam tollere ſulphur,
Tùm Nitroſa valent ſquallentes vndiq; cruſtas
Hæc effata viros duxit ſub tecta vagantes,
Hoſpitioq; alacres Diuorum excepit amicos,
Nec priùs abſiſtit, quàm fixæ ſemina labis
Eluat, & nitidum Daphni decus addat ouanti.

Finis Secundi Libri.




24




Cav. G. DI GIACOMO
Restauro del Libro Antico e Legatoria
Via Caravaggio 265/1 - Tel. 21.244
PESCARA

